



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,
Explanatio Catechismi Catholici**

Macherentinus, Johannes

Colon., 1612

Quid confessario cum concubinarijs agendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39397

immisericordia, de qua in fine quarti præcepti, pro instituti breuitate fat multa.

X V I I.

C O N T R A S E X T V M P R A E -
C E P T V M.

1. **A** Dulterio, seu alia quavis luxuria siue naturalis siue innaturalis specie, se contaminare.

2. In aliquod opus fœdum perpetrandum consentire.

3. Fœdis cogitationibus, delectationis gratia sponte immorari: nam qui tali cogitatione delectatur, etsi scelus nolit perpetrare, peccatum tamen committit mortale eiusdem omnino naturæ, cuius opus ipsa esset: ac perinde in hoc & secundo casu hæc circumstantia in sacra confessione est explicanda.

De morosis delectationibus. Quomodo confitenda fœdæ cogitationes.

4. Scurrilibus verbis, cantionibus, historijs, picturis, ornatu, vestitu, gestibus, epistolis, osculis, tactibus impudiciæ operam dare.

5. Causas impudiciæ & occasiones non vitare, vt sunt commestationes, comotationes, otia, assidua aut nimia cum diuersi sexus personis familiaritas, & de rebus purum honestis colloquia.

6. Con-

6. Coniugi sine causa legitima pertinaciter debitum negare.

X V I I I.

Quandoquidem libidinis flamma complures accendit, & pro circumstantiarum diuersitate varia passim flagitia committuntur, cum solutis, cum matrimonio iunctis, cum consanguineis & affinibus, sacrilegè etiam cum Deo per vota dicatis personis, naturali modo & contra naturam, secum & cum alijs, vt integra fiat, & salutaris confessio, omnes conscientiarum suarum latebras quisque penitus scrutetur, & inspectet. Multi pro dolor callido fatanarum consilio lusi, & pudore non bono præpediti, in confessione flagitia prædicta dissimulant, ideoque ad Eucharistiam percipiendam indignè accedunt, vnde miseriam, dum moriendum est, desperant, porro non confessi damnantur: quorum ignominia velint nolint, coram omnibus hominibus, imò & Angelis Dei, reuelabitur.

*Necessaria
popula
inculcanda
admonitio.*

Aduertendum & illud diligenter, non posse absolui, qui peccatorum occasiones non est paratus euitare. Graue itaque sacrilegium committit, qui Ecclesiasticum aut sæcularem concubinariū, etiam in paschate absoluit, antequam concubinam domo eijciat, præsertim si peccatum in vulgus manifestum est, aut si violentæ quas vocant suspiciones,

*Notet tam
confessarij,
quam confitentis.*

*quid cum
concubina.*

N n ciones,